

R.N.  
435,  
9.

X 1880 984

2



DISPUTATIO POLITICA  
DE  
MONETA

seu

RE NUMARIA,

Quam

D. T. O. M. F. A.

&

*Amplissimi ac Spectatissimi Senatus Philosophici  
indultu*

in illustri Salana

PRÆSIDE

M. BALTHASARE CELLARIO,

Francohusano Thuringo,

*Publicæ & placide disquisitioni submittit*

JOHANNES CHRISTOPHORUS Dalnsteiner /  
Ambergâ Palatinus,

*Ad diem Junii*

*Horis consvetis*

*Paulus l. 50. ff. de R. J.*



*Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.*

J E N Æ

Ex Typographeo STEINMANNI,

M DC XXXIX.

22.





Σὺν τῷ Θεῷ!

I.



¶ Si secundum *Aristotel.* l. 1. *Pol. cap. 9.* veræ divitiæ non sunt, quarum abundans aliquis fame perire potest, quod aliquando Midæ, cui διὰ τὴν ἀπλησίαν τ' εὐχῆς, i. e. propter desiderii insatiabilitatem quicquid apponebatur, in aurum commutabatur, contigisse μυθολογῶσι: tamen, quia non solum olim quidam, ut pecuniosi fierent, Pecuniæ supplices facti sunt; verùm adhuc hodiè ita avidè nūmos expetunt, ut pessimis etiam modis alios, ut Plautus ait, ad vivam usq; cutem iis tondere non vereantur; ideo nobis de re nummaria agere placet.

2. Vocatur autem res nummaria ab *Arist.* l. 5. *Eth. c. 8. & l. 4. Eud. c. 3. νόμισμα.* Appellatur autem ita, seu ut *Aristoteles* loquitur, διὰ τὸ τὸν νομῶν ἔχει νόμισμα, ὅτι ἔφύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἀχρηστον, propterea nūmus nomen hoc habet, quia non natura, sed instituto constat, & in nobis est, eum immutare & inutilem reddere.

3. Nobis idem valet vox nummi, quæ itidem eandem ob causam τῶν νόμων suos debere videtur natales; adeò ut verò non sit simile, à Numa Romanorum Rege numos esse vocatos, quod ille eos primum apud Latinos imaginibus notarit; sicuti vult *Isidorus* l. 16. *orig. c. 17.*

4. Idem notat vox pecuniæ, à pecudibus suam quæ traxit originem: quantumvis & illa latius nonnunquam extendatur, ita ut nomini τῶν χρημάτων, quo apud *Aristotelem* l. 4. *Eth. c. 1.* veniunt omnia, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται, i. e. quorum dignitas nummo mensuratur, æquipolleat. Ita enim accipitur ab *Hermogeniano*, quando l. 222 ff. *de V. S.* ait: Pecuniæ nomine non solum numerata pecunia, sed omnis res tarr

A 2

solis

soli quàm mobiles, & tam corpora quam jura continentur. Ad eun-  
dem ferè modum *Ulpianus* l. 178. ff. de V. S. inquit: Pecunie  
verbum non solum numeratam pecuniam complectitur: verum  
omnem omninò pecuniam, b. e. omnia corpora. Nam corpora quoq;  
pecunie appellatione contineri, nemo est, qui ambiget.

5. Rationem hujus significationis videtur quodam-  
modo attigisse *Augustinus*, quando, ut citat *Mart. in Lex. Philol.*  
de disciplina *Christ. c. 1.* ait: Totum, quicquid homines possident in ter-  
ra, omnia, quorum domini sunt, pecunia dicitur. Et unde est primum  
vocata pecunia? ideò pecunia, quia antiqui totum quod habebant, in  
pecoribus habebant. Hinc etiam, ut testatur *Becmanus* in voce  
pecus, vetusta Germania voce *fiu*, i. e. *Biehe* pecuniam ap-  
pellavit.

6. *Tò ἔργον* etiam pecuniam significare docet nos  
*Nonnus*, Paraphrasi sua in *Joh. c. 18.* quando de *Juda* dicit,  
quod *μινυρ* *Ἰαδῆς* *χάριν* *ἔργου* filium Dei tradiderit. Ubi, in-  
quit *Clariss. Heinsius* in *Aristarcho sacro c. 27.* *ἔργον* nummum seu  
pecuniam, ni fallor, vocat. Quis autem græcè sic loquatur? Itaq; non  
parum nos exercuit hic locus. Hoc autem quin *Hellenistis* debue-  
rit, qui tum extabant, nullus dubito. Sanè *Estheræ cap. 3.*  
*οἱ ποιῶντες τὸ ἔργον* monetarii dicuntur &c.

7. Usu recepta in primis apud Politicos est vox mo-  
netæ, quæ secundum *Isidorum* l. c. ita nominata, quod mo-  
neat, ne qua fraus in metallo & pondere fiat: Vel secun-  
dum alios, quod de authore vel valore moneat.

8. Necessitas autem ipsa usum nūmorum introdu-  
xit, seu, ut *Aristotel.* loquitur *c. 8. l. 5. Eth.* ὑπάλλαγμα τῆς ζῆσις  
τὸ νόμισμα γέγνε κατὰ συνθήκην. Cum enim à remotio-  
ribus quæreretur auxilium importando illa, quibus indi-  
gebant, & exportando illa, quibus abundabant, necessario  
nummi introductus est usus, inquit *Aristoteles lib. 1. Pol. 9.*  
Quia enim facile aliæ res omnes, quæ sunt natura vitæ ne-  
cessariæ hinc inde deportari nequeunt, ideò ad permuta-  
tiones hujusmodi aliquid pepigerunt inter se dare & acci-  
pere, *Arist. l. c.*

9. Difficilis etiam, imò sæpè injusta esset permutatio,  
absque nummorum usu si foret. Cum enim res inter se  
quæ

quæ permutari debeant, sæpenumero longissimè distent; ideo modo justa sit permutatio, ad æqualitatem redigi debent. Ob hoc ipsum autem nummus in usum venit, qui quodammodo medium efficitur, inquit *Aristoteles 5. Eth. 8. Nummus enim, inquit idem, commensurabiles inter se res efficit, atq; ita adequat. Hic enim est qui commensurabilia reddit omnia: μετρεῖται γὰρ πάντα νομισματι, i. e. nummo enim omnia mensurantur.*

10. Fortè etiam nulla, ubi mutua rerum non esset indigentia, permutatio esset, absq; nummo si esset. Si enim e. g. rusticus indigeret calceis, sutor autem frumento abundaret, proculdubio rusticus merces alias sutori gratas non habens, calceorum haur compos fieret

11. Licet itaque nummorum utilitas sit maxima, manifestum tamen est, non uno atque eodem tempore apud omnes peræquè gentes pecuniæ usum receptum & cognitum fuisse. Indi enim ante Hispanorum adventum nummis usi non sunt, & apud Lappos Sylvestres nullum nummorum usum esse, restatur *Arnis. l. 2. de majest. jur. c. 7.*

12. Quo autem tempore nummi introducti fuerint, illud usque quaque certum non est, nec concordantes hac de re auctorum sunt sententiæ. Licet enim *Josephus l. 1. antiq. c. 4.* ut refert *Keckerm. disp. 31 curs. Philos. q 20.* non solum ponderum & ulnarum, sed etiam pecuniæ inventionem, Caino tribuat; sunt tamen alii, qui à Noa itemque Tharah patre Abrahami nummos originem suam habere asserunt, uti videre est apud *Dn. Arum, vol. 5. discurs. pub. 1. c. 7.*

13. Hoc nihilominus certum est, multis abhinc seculis illius usum viguisse; cum Abrahamus, qui anno post conditum mundum 1949. secundum *Abrahamum Bucholzerum*, vel juxta supputationem *Helvici in theatro historico* Anno 1948. esse coepit, ab Hephronè speluncam ad sepulturam Saræ quadringentis siclis argenti probatæ pecuniæ publicæ; uti habet vulgatus (das/uti Lutherus vertit. im Rauff geng vnd gebe war) *Gen. 23. v. 16.* coemisse legatur.

14. De Romanis itaque, ut *Isidorus* loquatur *l. 16. orig. c. 17.* necesse est, quando antiquissimos nondum auro argentoque invento, ære fuisse usos scribit, adeò ut prius


25. Antiquitus autem & ab initio nummi valor magnitudine & pondere fuit æstimatus; progressu verò temporis, ut homines ponderandi molestia in quantum sublevarentur, nota seu signo impresso definitus fuit. Docet hoc etiam Arist. l. 1. Pol. c. 9. inquit: τὸ πρῶτον ἀπλῶς ὀρίσθην μεγέθει καὶ σταθμῶ. τὸ ἰτελευταῖον καὶ χαρακτῆρα Ἰπικαλλόντων ἵνα ἀπολύσῃ τὴν μετρήσεως αὐτῆς. ὁ γὰρ χαρακτῆρ ἐτέθη ἢ ποσὶ σημεῖον: *Primo simpliciter (aurum vel argentum) definitum magnitudine & pondere: postremum verò nota impressa, ut à ponderandi molestia liberaret. Nota enim posita est quantitatis signum.*

26. Solebant autem prisca Romani, qui re maximè pecuaria se alebant, nummis suis aut ovium, aut bovis, aut suis effigiem insculpere: qui etiam Suillorum, Bubulcorum, Caprariorum ac Porciorum nomina suis imposuerunt filiis, sicut testatur Plut. Poplicol. p. 188. itemque in quest. Rom. q. 41.

27. Et quidem primus Servius Rex Romanorum æs grave figura bovis signasse perhibetur, cum tale antea præ se non ferret signum, ut sentit Polydorus Vergil. lib. 2. de invent. rer. cap. 20. procul dubio imitatus exemplum Thesei, Atheniensium Regis, qui eadem figura monetam signarat, docente Bodin. l. 1. de Rep. c. 10. p. 168. unde & proverbium illud βῆς Ἰπικὴ γλώσση βέβηκε, bos in lingua, manasse ait Tholos. ut citat Keckerm. disp. Curf. Philosoph. 31. q. 20.

28. Antiquum etiam apud Romanos nomisma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera verò aut pro-ram aut puppim insculptam exhibebat, cujus signaturæ rationes scire qui desiderat, eas à Plutarcho in quest. Rom. q. 37. petat.

29. Quamdiu autem Resp. Romana extitit popularis, Triumviri monetales nummos pro arbitrio & lubitu suo signarunt, his insuper literis adhibitis IIIviri A.A.A.F.F. quarum interpretatio juxta Bodinum l. 1. de Rep. c. 10 p. 168. hæc est: Triumviri auro argento ære, flando, feriundo.

30. Apud Ebræos in usu fuisse monetam agni imagine signatam videtur, innuere vox, , quæ alias agnum significat, & pro pecunia accipi in itinere per Africam se audivisse fatetur R. Archiva, uti est apud Buxtorfium. Unde noster Lutherus *Gen. 33. v. 19. Jos. 24. v. 32. Job. 42. v. 11.* hanc vocem in lingua germanica Groschen interpretatur. Vulgatus autem 70. interpretes ἀμνὸν & ἀμνάδα vertentes secutus agnum & ovem exponit: quæ tamen interpretatio cum narratione Stephani *Act. 7. v. 16.* locum Geneleos enarrantis non undiquaque convenit. Nam, inquit Drus. in comment. ad loca diffic. Geneleos c. 97. si emit pretio argenti, non emit agnis. Talis emptio propriè permutatio dicitur. Qui n. pro agro aliquo agnos reddit, non emit propriè, sed permutat. Fortè, ait porro, agnos dicit nummos agni imagine signatos. Ita multi putant & potest verum esse. Nam & aliæ gentes idem fecerunt. Sic nummus apud Athenienses bovis imagine signatus βῆς dicebatur: Unde proverbium: Bos in lingua. Similiter corvus apud Basilienses moneta erat coryi habens effigiem. Hodie aquilas & leones insculpunt, unde & nomen sortiuntur. Noti sunt Daleri Leonini, vulgò Leuctens Dalders. Sed Angelotti ab angeli figura nomen accepisse putantur.

31. Errore quoque monetarum in Gallia solidi solis aliquando impressam habuerunt effigiè. Cum n. ideo dicatur solidus, quia ex auro, quo solidius quid ac magis compactum in universa rerum natura vix invenitur, constat, monetales solidum à sole dictum existimantes aureis solidis characterem solis impresserunt, sicut tradit *Bod. l. 6. de Rep. p. 686.*

32. Primus in Græcia Philippus Rex Macedoniae nummos sua signavit effigie, unde & Philippæi sunt nominati, imitatus Persarum Reges, qui nummos aureos Darii primum imagine cusos, Daricos appellabant, sicut docet *Bod. lib. 1. de Rep. c. 10. p. 168.*

33. Pari modo olim Imperatores Romani, effigiem suam monetæ cum inscriptione impresserunt, sicut ex *Matt. 22. v. 20.* satis est manifestum: unde etiam Christus ipse Judæos Imperatori subiectos esse debere convincit. Et quidem Constantinus Magnus, ad veram fidem ubi fuit conversus, monetæ crucis signum imprimi iussit: sequentes ve-

rò ipsum Dominum cum hac imprefferunt inscriptione:  
JESUS CHRISTUS REX REGNANTIUM, uti hoc ex Frehero l. 2.  
de re monet. adducit Keckerm. l. c.

34. Visa etiam fuit moneta à Civitate Brunsvicensi  
cusa cum signo Divæ Annæ, duos infantes portantis cum  
hac inscriptione: ANNA MATER VIRGINIS MARTÆ, quæ ta-  
men duntaxat 18 nummorum valorem obtinuit.

35. Varia autem olim, ut & hodiè nummorum extant  
genera. Crebra apud Ebræos fit mentio Sicli, qui duplex  
fuit. Sacer & communis. Et quidem sacer, pondere dimidio  
Joachimico, s. Imperiali respondit; comunis verò quadran-  
tem thaleri valuit, secundum Buxtorff. in hac voce.

36. Quod si nunc *ῥεῖδανοντα δρυῦρα*, quæ data  
sunt in prodicionis præmium Judæ Ischariotæ, cum siclis sa-  
cris coincidunt, quorum unusquisque dimidium thaleri  
valuit, in promptu est, ut æternum omnipotentis Dei filium  
(qui à veteribus Ecclesiæ Doctoribus Tertulliano sc. & Au-  
gustino *ἰχθῦς* sive piscis, ideò quod ex hujus nominis literis  
initialibus hæ dictiones *ἰησῦς χριστὸς θεὸς υἱὸς πατρὸς* re-  
sultant, mysticè vocatur, sicut id pluribus exponit Joh. Drus.  
l. 2. Ebr. q. 14.) 15 Imperialibus venundatum esse dicamus,  
adeò ut non immeritò ipse exclamet apud Zachariam c. 11. v.  
13. *Er eine treffliche Summa / der ich werth geacht bin von  
ihnen.*

37. Numeratur etiam inter monetas Ebræorum ab  
*Alstedio Encyclopæd. l. 14. Arithm. part. 2. c. 13.* Gera, quæ est se-  
cundum eundem, vigesima pars sicli, ac, secundum Buxtorff.  
16 grana hordeacea pendeat: Mina sacra, quæ valuit siclos  
120 seu 60 thaleros: Mina communis, kikal seu talentum,  
quod, juxta citatum authorem, siclos 3000 seu 2500 thaleros  
valuit. Ab eodem inter N. T. monetas extraneas recense-  
tur stater, denarius, drachmalis, didrachma, assarium, sester-  
tius, minutum quadrans.

38. Apud nos varia tam parva & exigua, quam ma-  
gna & pretiosa visuntur nomismata. Extant enim oboli,  
quos Germani Heller vocant qf. *Halber* / cum horum unus-  
quisque nummi valeat dimidium; licet Freherus existima-  
ve

verit Heller dici, quod Hallæ primo signati fuerint, tanquam Hallenses. In usu etiam est Pantingus, quæ vox Germanica penitus est, nostraque lingua vernacula Pfening enuntiat, à behanden / qf. dicas behändiger seu manualis, ob ejus commoditatem & necessarium usum.

39. Valdè etiam celebris argenteæ monetæ illius est usus, quam Imperialem, itemque Joachimicum nominant, ita, ut nonnulli existimant, vocatum à Valle Joachimica, vom Joachimschall / ubi, cum Carolus V. fasces imperii susciperet, cudi cœperit.

40. Sunt & aliæ permultæ monetæ tam argenteæ, quam aureæ species, quas omnes enumerare supervacaneum ducimus, cum in usu sint frequentes, sicuti quotidiana melius id docere potest experientia. Hoc adhuc addimus, quod Polyd. Vergil. l. c. de nomine Ducatus addit, quando ait: Ducatus est dictus à Romano Ducatu, qui magistratus à Longino fuerat primo constitutus, quem Justinus Imperator Narsetti Italiae Prefecto successorem dederat.

41. Absit verò, ut unicuique potestatem cudendi nummos sua auctoritate competere dicamus. Etenim inter βασιλικῆς seu regie administrationis species curam, quæ est περὶ νόμισμα s. circa rem nummariam ipse refert Arist. l. 1. æcon. c. 1. quo sensu proculdubio quoque Constantinus Magnus monetas suas, i. e. regias vocat l. 2. C. de falsa moneta, uti asserit Dn. Jacob. Mart. l. 2. Pol. c. 20. nec immeritò illa potestas circa rem nummariam regalibus, si ut commodiori utamur locutione, majestatis juribus annumeratur ab Arnif. l. 1. Pol. c. 11. l. 2. de Jur. Majest. c. 7. Dn. Jacob. Mart. l. 2. Pol. c. 20. Althus. c. 11. de majest. Jur. speciali. Johann. Cammanno disp. 6. §. 12. Bod. l. 1. de Rep. c. 20. p. 167.

42. Non piget adscribere, quæ hac de re habet Bodinus l. c. Ita autem ait: Nummi percutiendi jus Majestatis æque proprium est, ac legis ipsius, cujus enim est leges jubere, ejusdem est nummorum pretium, pondus, figuram præscribere: Nam Græca vox νόμος i. e. lex nummo videtur originem dedisse. Nihil enim post legem magis in Republica necessarium est, quam nummorum pretium, pondus imago, ut libro singulari docuimus: & in omni Repub.



*prudenter constituta solius Principis jus illud proprium est.*

43. Sive autem illi, penes quos est Majestas, ipsi nummos cudendos, fundendos, seu alio modo producendos curent, sive ab aliis productos in suis rebus publicis valere jubeant, & quæ ad majestatis jus pertinet, nec quicquam per hoc ea imminuitur. Sicut enim nihil refert, sive illi, majestas penes quos est, ipsi leges condant, sive ab aliis latis in respublicas suas sponte introducant, quod non solum in aliis, verum etiam in nostra, ubi leges Pontificiæ seu jus Canonicum quandoque obtinet, republica usu venit: ita nec Majestati aliquid decedere, aut derogari opinamur per hoc, licet vel apud nos vel alibi extra tamen regnum Hispaniæ nummi Hispanici valorem suum obtineant.

44. Quantumvis enim *Keckerm. l. 1. syst. Pol. c. 21.* moneat, Principem, peregrinam monetam in suo regno valere, non facile concedere debere; siquidem cum eadem & peregrini mores & peregrini domini in ditiones suas pellicere soleat: tamen propter eorum, qui jus signandæ monetæ habent, multitudinem, & plurimarum nationum missionem ac vicinitatem; commerciorumque frequentiam, cur nummos cæteros, præsertim si probi sint, nostrisque nihilo deteriores, rejiciamus, nondum sufficiens nobis apparet ratio. *Vid. Heid. c. 3. p. 578.*

45. Utrum autem majoribus, an verò minoribus majestatis juribus potestas circa rem nummariam annumerari debeat, non una omnium est opinio. Nos salva contradicentium, quos multos esse scimus, autoritate minoribus annumerandam esse opinamur. Facile enim illud majestatis jus communicatur inferioribus, adeò ut ferè nullum sit quod facilius communicari queat, juxta *Dn. Mart.* Unde non solum Principes Germaniæ & Italiæ longo usu id jus obtinuerunt, sed & multæ civitates eadem ratione idem sibi tribuunt, ut docet *Jacob. Mart. l. c.* inter quas etiam Norimberga, Ratisbona, cum aliis multis, ignobilioris ad huc quæ sunt conditionis, utpote Halberstadium, Northemium, Sunda, Stetinum, quas recenset *Arnif. l. 2. de Maj. Jur. c. 7.*

46. Communicatio hæc non est nova, ac heri aut  
nudiustertius nata, cum jam olim Simoni Sacerdoti & Judæ-  
orum gentis Principi ab aliis regibus hoc jus communica-  
tum fuerit ac denuò ab Antiocho Demetrii filio confirma-  
tum, uti ejus in epistola ad Simonem, quæ extat *l. i. Maccab.  
cap. 15.* verba testantur, *v. 5. & 6.* Verba autem sunt hæc:  
Νῦν ἐν ἰσχυρί σοι πάντα τὰ ἀφαιρέματα, ἃ ἀφῆκάν σοι πρὸ  
ἐμῆ βασιλείῃς καὶ ὅσα ἀλλὰ ἀφέματα ἀφῆκάν σοι καὶ ἐπέ-  
τρεψάν σοι ποιῆσαι νόμιμα ἰδίων νόμισμα τῆ χώρας σου, *i. e.*  
Nunc etiam statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt  
tibi, qui ante me Reges, & quæcunque alia dona remiserunt  
tibi. Et permiserunt tibi facere percussuram proprium  
numisma regioni tuæ: Lutherus ita hæc reddidit, Darumb  
erlasse ich dir alles/ so dir die Könige zuvor erlassen haben. Und  
gebe dir Gewalt/eigene Münze in deinem Lande zu schlagen.

47. Olim quidem Romani potestatem cudendi æreos  
& argenteos nummos provinciis omnibus permiserunt:  
Solos verò sibi aureos cudendos in superioritatis signum  
reservarunt. *Bod. l. c. p. 168. Dn. Jacob. Marr. l. c.*

48. A quibus cudendæ monetæ authoritas dependet,  
ab illis etiam valor illius præcipue manat. Tantum enim  
valet nummus, quantum Majestas ipsum valere jubet, quip-  
pe quæ efficere posset, ut etiam papyraceus vel coriaceus  
nummus in eodem haberetur pretio, quo aureus. *Arnif. l. 2. de  
Jur. Majest. c. 7.*

49. Ut autem ultra se extendat valor, quam potestas  
illius, cujus authoritate cuditur, necesse non est. Hinc mo-  
neta usualis, licet, quoad bonitatem nihil desideretur, sæpe  
alibi nihil, vel etiam minus valet, uti ipse usus satis osten-  
dit.

50. Necesse nihilominus hoc est, ut æstimatio mo-  
netæ certa sit. Incertum enim monetæ publicæ pretium  
omnia perturbat, ac difficilem cum aliis populis conversa-  
tionem & commercia efficit, & parum abest, quin commer-  
ciorum usum penitus tollat, *Althus. Pol. c. 11. de spec. Majest. Jur.  
11. 13.*

51. A quibus nummus valorem suum accipit, in illo-  
rum quoque potestate est, eum abrogare, ac augendo vel  
minuendo pro ratione circumstantiarum immutare, vel uti  
*Arist. l. 5. Eth. c. 8.* loquitur, eum immutare ac inutilem red-  
dere. Ita Dionysius, cum magnam pecuniæ summam, quam  
mutuam sibi sumpserat, cives repeterent, omne, quod quis-  
que possidebat, argentum, proposita mortis pœna, ad se de-  
ferri iussit: Allatō autem argento nummum percussit, ita  
ut denarius unus duorum contineret valorem, atque hoc  
pacto, non solum quod debebat, verum & quod attulerant,  
argentum persolvit. *Arist. l. 2. œcon. c. 1.* Hippias Atheniensis  
etiam nummum, qui Athenis erat usitatus, improbum esse  
jubebat, & pretio à se constituto omnem pecuniam deferri  
imperabat. *Arist. l. 6.*

52. Uti verò temerè leges bonæ mutandæ non sunt,  
cum legis vis hoc pacto infirma reddatur, docente ita *Arist. l.*  
*2. Pol. c. 8.* ita quoq; nummorum probatorum valor quacunq;  
de causa non facilè immutari debet. Sine enim civitatis  
incommodo mutatio illa vix contingit, cum ex ea incerta  
orientur pacta, in emendo, vendendo ac locando, quæ sunt  
facta, ipsiq; Principis ac Reip. reditus incerti sint futuri,  
ut docet *Bod. lib. 6. de Rep. p. 680.* Taceo, quod temeraria & in-  
solita monetæ mutatio plerumque magnorum in Rep. ma-  
lorum soleat esse præsagium, ut habet *Heiderus c. 3. p. 578.*

Wie das Geld / also ist auch die Welt.

Hinc *Lucas Lossius in Lynæburg. fol. 36.*

Quotidiè in pejus Mundi peccata ruentis

Cernens hoc inter plurima dicta tulit.

Bei der Münze sol man lehren /

Wie sich die Welt thut verkehren. uti *Dn. Besold. in*  
*Diss. Polit. Juridic. de Juribus Majest. p. 201. refert.*

53. Minus autem decet eos, qui monetæ cudendæ au-  
thoritatem habent, illam falsificare, s. quod idem est, publi-  
ca autoritate corrumpere. Quod enim in privatis turpissi-  
ma solet puniri morte, id certè supremæ potestati, aut alii  
per concessionem hoc jus habenti, laudi esse nequit. Di-  
gnum est memoria effatum Philippi, Hassiæ Landgravii,  
quem dicere solitum fuisse scribunt: Einen Fürsten sol man

an

an dreyen Dingen erkennen / an gutem Weg / an guter Münz /  
vnd an wahren Worten. Keckerm. curs. Philos. 31. quest. 21. Bod.  
l. 6. de Rep. p. c. ita ait: Principi non magis licet improba numis-  
mata cudere, quam occidere, quam grassari: nec à jure gentium,  
quo quidem auri & argenti pretium est constitutum, discedere: nisi  
Regis nomen ac splendorem amittere ac falsæ monetae fabricator,  
quam Princeps nominari malit: quod à Dante Poeta Philippo Bel-  
lo Regi Francorum probro datum est, quod primus inter Principes  
nostros, quantum quidem intelligo, numismata corrupisset, ac dimi-  
diam æris partem argento miscuisset; unde frequentes in tota Gal-  
lia tumultus. Cujus facti cum Regem serò pœnituisset, ac nummos  
pristinæ bonitati restituisset, Ludovicum filium admonuit, ne dein-  
ceps adulterari numismata pateretur.

54. Quanta apud nos, non ita pridem ex monetae de-  
terioratione suborta fuerint incommoda, ac inde tam ad Ec-  
clesiasticum, quam statum Politicum & œconomicum derivata,  
fatis perspicuè testata fuit Plur. Rev. nostra Facultas Theo-  
log. hujus loci, in consilio suo, de re nummaria, publici ju-  
ris quod est factum, ac jurgia nondum penitus sopita etiam-  
num cum multorum detrimento contestantur: adeò ut tunc  
usu venerit, quod olim magnus prædixit Melanchthon: Es  
wird noch der Welt an dreyen Dingen mangeln / an Holtz / an  
guter Münz / vnd guten Freunden. Keckerm. curs. Philosoph. 31.  
quest. 20.

55. Potius decet Principes, aut alios hoc qui gaudent  
Jure, ut omnibus modis prospiciant, ne fraus ulla in mone-  
ta committatur. Merito ergò laude hæc celebrantur Ro-  
mani, quod nullius ferè rei tantam curam & solertiam ha-  
buerint, quam rei nummariae probæ ad posteritatem trans-  
ferendæ. Reinh. König part. 2. theat. Pol. c. 9. p. 87.

56. Quoniam autem ab iis, quibus auri argentiq̄ue  
percussio vel fusio delegatur, pestis ac corruptio præcipuè  
manat, ideò huic malo optimum remedium fore existimat  
Bodin. l. 6. de Rep. p. 687. si una tantum nummorum officina  
in uno Imperio, in urbe tamen omnium maxima, constitua-  
tur, ita ut publicè spectantibus Magistratibus nummi pes-  
cutiantur. Et ne quis forsan existimet, unam Imperio præ-  
ser-

tertium latè patenti non sufficere, insuper addit, etiam Romanos, quorum tamen Imperium angustis limitibus circumscriptum haut erat, unam tantum monetarum officinam Junonis videl templum habuisse, in quo Tresviri monetales trium metallorum auri argenti æris nummos sine ulla mistura signarunt. Latè quoq; Imperium Francorum Carolo Magno Rege patuit, nihilominus ille omnes monetarum officinas in palatium coegit, quo accuratius & severius nummi fabricarentur & probarentur.

57. Ex eo, quòd Jus monetæ Majestatis jus est, sponte sua manat Majestatem lædere, quicumque privati & potestate ea carentes, cujuscunq; etiã status sint, & conditionis, monetam licet justis valoris nomine Principis cuderint vel signarint, ut docet *Reinhard. König in theatro Pol. par. 1. c. 28. n. 173.* Crimen etiam læsæ Majestatis incurrunt, qui vel ipsi reprobam ac adulterinam percutiunt monetam, vel aliã publicam auctoritate signatam corrumpunt.

58. Corripitur autem moneta quoties vel ab initio per misturam legitimæ bonitati aliquid contra leges detrahitur, vel per tinctionem, rasionem aut circumcisionem imminuitur; à quo ultimo corruptionis modo tutissima esse videtur orbicularis figuræ moneta, utpote quæ facile circumcidi non poterit, quin facile cuiq; id appareat *Bod. l. 6. de Rep. p. 690.*

59. Acerbissimæ autem ubique ferè in corruptores monetæ constitutæ fuerunt pœnæ. Apud Ægyptios enim, si qui monetam circumciderent, aut adulterinam cuderent, aut pondera vel signa immutarent, aut falsis literis conscriberent, illis manus ambæ amputabantur, ut ita quæ corporis pars peccasset, etiam per universam vitam pœnas lueret, uti ex *Diodoro Sic. l. 1. c. 6. refert Reinb. König Theat. pol. part. 2. c. 9. n. 30.* Similiter Henricus I. Rex Angliæ aliquando monetariis pene omnibus totius regni idem ob crimen manus dextras abscindi curavit. *Cammannus disp. 6. §. 29.*

60. Sveci adulterinam monetam colliquarunt, & in falsarios vivos immiserunt, vel in sublimiore trabe circumligatos per totum corpus moneta undique splendente  
his

his gulam fregerunt, *Reinh. König l. c. n. 94.* In Gallia, uti refert *Schönborner l. 4. Pol. c. 30.* De re monet. Cacabis oleo bulliente plenis injiciuntur: In Polonia, qui falsam & adulterinam monetam cudebant ad bestias condemnabantur; si liberi erant; si verò servi, ultimo supplicio afficiebantur: In Hispania laqueo suffocantur.

61. Jure novissimo, qui monetam falsam cudit, plerumq; combustionis poena afficitur s. flammis traditur, ut docet *Schönborner l. c. Reinh. König c. 23. p. 1. theat. Pol. n. 174. & part. 2. c. 9. n. 92. Heiderus c. 3. ubi agit de renum p. 578.*

62. Loco coronidis ex *Arist. l. 2. æt. c. 1.* afferre placet, quomodo veteres, moderamen Rerum publicarum quibus commissum erat, pecunias conquirere sæpè soliti fuerant; cum non tantum ipse Aristoteles hæc ἀξίον τε censeat; sed etiam nobis hæc narratio non prorsus inutilis videatur.

63. I. Bona exulum exulibus divendebantur. Hoc fecit Lygdamis Naxius, qui cū ipsorum, in exilium, qui erant pulsi, bona nisi parvo admodum pretio, nemo voluit emere, ipse exulibus divendit *Arist. l. c.*

64. II. Loca sacra & alia bona publica alienabantur. Fecerunt hoc Byssantii, qui penuria pecuniæ pressi publicos lucos & loca sacra, quæ quidem erant fructuosa ad tempus, ἀναπρα verò seu infructuosa ad usum perpetuum vendiderunt. *Arist. l. c.*

67. III. In civiū numerum, certa pecuniæ summa persoluta, recipiebantur, qui aliàs adoptari non poterant. Hoc itidem factum à Byssantiis, qui cum legem haberent, non habendum pro cive esse, qui non utroq; parente cive natus foret, & tamen pecunia destituerentur, fecerunt decretum, ut etiam is, qui altero tantum parente cive natus, modo persolvisset τριάκοντα μνῆς seu 30 minas, pro vero cive esset habendus. *Arist. l. c.* Ita multis in locis constitutum est, ne Judæis habitatio concederetur: quod si tamen alicubi soluto certo pretio reciperentur, eodem ferè modo pecunia pararetur.

66. IV. Tàm pro mortuo quam pro recens nato pecunia exigebatur. Ita Hippia Atheniensis Sacerdo-

C ti

OK  
Tm  
715

conscribendos milites à Perynthiis pecuniam mutuam re-  
gasset, reuentibus illis petiit, ut aliquos saltem cives, qui  
certis quibusdam locis præsidio esse possent, ad se mitteret,  
cum ope militum ea jam custodientium alibi indigeret:  
Non cessarunt hoc Perynthii facere, miseruntq; quosdam,  
quos Rex in captivitate tam diu se detenturum esse postea  
significavit, donec pecuniam, quam postulasset, mutuam  
mitterent, *Arist. l. c.*

76. XIV. Ad tutiora loca aliorum opes de-  
ducere pollicentes, ipsi auferabant. Hoc Charidemus  
Orida Æolidos quædam tenens local, dum exercitum ad-  
versus se Artabassus adduceret, in pecuniæ penuria fecisse  
perhibetur. Cum enim subditi nihil amplius, quod contri-  
buere possent, se habere affirmarent, opulentissimi loci in-  
celas, si quid nummorum aut alia pretiosa haberent vasa,  
ad tutiora ut transferrent loca, iussit, seq; παρακώμην seu de-  
ductores additurum esse promisit. Extra urbem autem il-  
lis non longè eductis, quibus opus habebat, ipse abstulit, ci-  
vesq; in locum eundem reduxit, *Arist. l. c.*

77. XV. Stipendiū ad tēpus militib; subducebant.  
Ita Alexander militibus stipendium & frumentum sex die-  
rum per annum detraxit. Idem aliquando cum dandum es-  
set frumentum, altero post novilunium die, primo quidem  
mēse dies præterit tres, altero quinq; hocq; processit mo-  
do, ad triginta usq; donec perveniret. Cleomenes etiam cu  
militibus, accedente luna nova, stipendium esset dandum,  
navigio sponte accedebat, menseq; præterito denuo navi-  
gio discedens stipendium persolvebat, sequentiq; mense  
solutionem ad alteram usq; novam lunam differebat, atq;  
hoc pacto unius mensis stipendium militibus subducebat,  
*Arist. l. c.*

78. Hi, quos hætenus enumeravimus, ac alii num-  
mos conquirendi modi, num etiam hodie quandoque in  
quibusdam Rebus publ. adhibeantur, certius nosse pote-  
runt illi, qui conflandis nummis omnem suam com-  
modant operam. Nobis enarrasse  
sufficiat.

F I N I S.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9

Handwritten text on aged paper, including names like "Mr. Balthasar" and "Johannes Christ".

